Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nauit manases filius eius pro eo. Duodecim annorum erat manases cum reg
nare cepisset. et l. v. annis regnauit in hierusalem. et cetera. Post mor
tem ezechie narrat scriptura manasen regnasse filium eius in hierusalem. Qui
cum ad ydola colenda et abominationes faciendas se conuerteret.
relinquens dominum patrum suorum. et bona exempla que in patre suo eze
chia conspexerat. locutus est dominus ad eum. et ad populum eius et adtendere
noluerint. idcirco induxit super eos principes exercitus assyriorum.
Ceperuntque manasen et uinctum catenis atque compedibus duxerunt in ba
bilonem. Qui postquam coangustatus est. orauit dominum deum suum. et egit peni
tentiam ualde coram deo patrum suorum. deprecatusque est eum. et obsecrauit in
tente. Et exaudiuit orationem eius. reduxitque eum in hierusalem in regnum
suum. Et cognouit manases. quod dominus ipse est deus. Exemplar autem est haec
penitentia manasse. quia post commissa scelera nullus debet de dei misericordia
desperare. sed magis per penitentiam spem habere congruam ueniae si eam
rite perfecerit. Post hunc regnauit filius eius ammon ydolatra. post quem
iosias filius eius rex iustissimus regnauit. qui omnem spurcitiam ydolorum
quam patres sui fabricauerant emundauit. et se in dei cultu strenue
exercuit. Et merito. quia longe ante hoc de illo predictum est per prophetam.
Interpretatur autem iosias cuius est sacrificium domino. uel salus domini. uel fortitudo
domini. Quod autem sequitur de eodem rege. quod audito libro legis. quem hel
chias sacerdos inuenit in domo domini. scidisset uestimenta sua. et
misisset helchiam sacerdotem. et ceteros qui subsequenter enumerantur ad
holdam prophetissam uxorem sellum que habitabat in hierusalem in secunda.
Quid significet illud quod dicitur in secunda. in libro paralipomenon decla
ratur. ubi scriptum est de prefato rege ezechia. Edificauit quoque agens
industrie omnem murum qui fuerat dissipatus. et struxit turres.
et forinsecus alterum murum. Meminit huius loci et sophonias
dicens. Vox clamoris a porta piscium. et ululatus a secunda.
Pro quo uetus editio. quasi proprium no[illegible]men loci transtulit in